

ex cineribus & arena fit, vitrarius nō efficit, sed ignis, cui sub-
 jicit materiam. Interim tamen hi omnes efficere dicuntur,
 non velut causæ principes, sed impellentes & adjuvantes. Sic
 aurum non efficiunt Chemici, sed ministrant causis naturali-
 bus materiam, ut agant in illam. Quod autem ab iisdem cau-
 sis naturalibus subjiciente arte aliquod perfectius mistum
 produci possit, quam quod natura sola sine arte efficit, in ijs,
 quæ solam mistorum rationem & nomen obtinent, non est
 impium credere: vitrum enim perfectius est corpus mistum,
 quam corpus aliquod naturale. Ignis enim, qui omnia corpo-
 ra naturalia, auro excepto, corrumpit, exurit & dissolvit,
 ipsum nusquam potest corrumpere. Sic lapis longe auro est
 perfectior, idque duplici ex causa. Prior est, quod si mistionis
 invincibilis & indissolubilis ratio habeatur, solutione & co-
 ctione diuturna tam firmam, solidam & unitam mistionem
 sibi comparavit: ut nullum impostherum imperium ignis in il-
 lum habiturus sit quantumvis diuturnus & violentus. Alte-
 ra, quod si qualitates primæ, quibus Philosophi vires omnes
 tribuerunt, spectentur, igneas sibi eadem solutione & con-
 coctione comparavit, quibus aurum & vitrum destituta sunt,
 quamvis alioqui perfectissime mista sint. Hinc aurum non a-
 git in reliqua metalla, uti lapis Philosophicus. Cur autem la-
 pis Philosophicus perfectiori & nobiliori forma constet, quā
 aurum, jam dixi superius. In universum enim quæcunq; cor-
 pora naturalia jam mista rursus miscentur, perfectiora sunt.
 Pullus est ovo nobilior, & animal semine, ex quibus ortum
 habuerunt. Sic lapis aurificus nobilior auro & suo argento
 vivo, ex quibus proxime habet ortum. Quod etiam dicunt,
 aurum ex argento vivo vi pulveris aurifici formatum perfe-
 ctius esse auro naturali, nec id etiam est impossibile. Argen-
 tum enim vivum omnis substantiæ inflammabilis est expers,
 à qua forsitan materia, ex qua aurum in visceribus terræ cō-
 cretum est, non est omnino purgata.

Vicesimum primum argumentum.

Formarum immissio in materiam est creatio.

At creatio solius Dei est omnipotentis. Ergo,

Chemici formam auri in materiam immittere non pos-
 sunt.

Responsio.

Huic argumento idem quod superioribus respondendum
 est, Chemicos scilicet formam rebus impertire nec velle nec
 posse. In plantis enim & animalibus vim formatricē semini-
 bus insitam vident: in mistis vero tantum corporibus usum

Mistum
 aliquod
 perfectius
 produci
 potest à
 causis na-
 turalibus
 arte juvā-
 te.

Cur, &
 quomodo
 lapis auro
 est perfe-
 ctior.

Corpora
 naturalia
 mista si
 rursus mi-
 scentur,
 perfectio-
 ra sunt.

XXI

B §